

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XV.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI IV.

DE QUÆSTIONE,

In quo consistat fi-
des justificans,

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ V Vittebergenſi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

R E S P O N D E N T E

M. MATTHÆO Grossern Liebſt-Miſn.

Facult. Philos. Adjunct. Elect. Alum.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 20. Decembr.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH, Acad. Typogr.
ANNO M DC XXIX.

COLLEGIUM
in Augustana Confectionem


IN DEO COMITATE

des Justitiarum
in Augustana Confectionem

JACOBO MARSHALL

MA...





Continuatio.

D Ergit Becanus ad septimam quæstionem, quâ quæritur, in quò consistat fides justificans: An in eo, ut quis firmiter ac certò credat, peccata omnia sibi esse remissa propter merita Christi, ac se justum esse in conspectu DEI: qui hoc non credat, fidem non habere. Nos affirmativam defendimus, Becanus eam quatuor argumentis refellere conatur; sed quò successu, cum DEO videbimus, & aliis demonstrabimus.

T H E S E S.

I. Primum argumentum §. 2. his proponit verbis: Nihil fide Catholicâ & justificante credendum est, nisi quod DEVS revelavit; sed DEVS non revelavit huic aut illi Calvinista, quod peccata sint ipsi remissa, ac proinde justus sit: ergo non potest hoc credere fide Catholicâ & justificante. Major certa est, quia adequatum objectum fidei, est veritas à DEO revelata. Ergo actus, qui non versatur circa illud objectum, aut aliquam ejus partem, non potest esse actus fidei. Minor aequè certa est, quia licet tempore Christi nonnullis revelata sit peccatorum remissio, ut paralytico; Magdalena, Zachæo, Latroni in cruce; Calvinista tamen hoc tempore non revelatur. Ubi enim legis in scripturâ, Calvinio, Bezae, aut Pareo remissa esse peccata? Volunt quidem ipsi, revelationem contineri illis verbis, Act. 13, 39. In hoc omnis, qui credit, justificatur. Et Rom. 3, 22. Justitia DEI per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Sed nihil ad rem. Nam hæc revelatio & promissio generalis est. Non enim dicit scriptura, Calvinus justificatur, aut justitia DEI

super Calvinum, sed generatim, omnis, qui credit, justificatur. Et justitia DEI super omnes, qui credunt. Porro hæc generalis promissio non potest applicari huic aut illi in particulari, nisi hoc modo ratiocinando; Omnis, qui habet veram fidem in Christum, justificatur: Sed Calvinus aut Lutherus habet veram fidem in Christum: Ergo Calvinus aut Lutherus justificatur. Hæc tamen applicatio non est sufficiens. Nam licet syllogismus bonus sit, & major propositio revelata; tamen assumptio incerta & ambigua est, etiam Calvinò teste. Sic enim habet lib. 3. Institut. cap. 2 §. 10. Tot vanitatis recessus habet, tot mendacii latebris scatet cor humanum, tam fraudulentâ hypocrisi obiectum est, ut seipsum sæpè fallat. Hic fatetur Calvinus, sæpè hominem falli ac decipi, cum putat, se habere veram fidem, quam tamen non habet. Et clarius §. 11. Et si in fidem non illuminantur, nisi qui præordinati sunt ad salutem, experientia tamen ostendit, reprobos interdum simili ferè sensu atq; electos affici, ut ne suò quidem iudiciò quicquam ab electis differant. Si ita est, quomodo potest, Calvinus certò credere, se habere veram fidem? Quid si seipsum fallat? Quid si inter reprobos sit, & non vero sensu fidei, sed simili afficiatur? Quid si suò iudicio cum reprobis sit, putet, se ab electis non differre? Vides, opinor, ut omnia incerta sunt, etiam in sententiâ Calvini. Quomodo ergo certò tibi persuadeas, remissa tibi esse peccata per fidem in Christum? Nam si certus non es, te habere fidem, quomodo potes certus esse, te per fidem justificari?

II. Majorem Syllogismi principalis facilè concedimus, ut & probationem ejus. Cum autem illa tantum nobis à DEO revelata vera dicantur, quæ in sacra scripturâ continentur, uti etiam illud ipsum innuit Becanus, quando paulò post dicit, *Ubi legis in scripturâ Calvine, &c.* non videmus, quomodo non contra seipsum & asseclas disputet. Stante enim hac majore, quorsum abibunt traditiones non scriptæ?

III. Minorem (nimirum *DEVM non revelare huic vel illi Christiano, quod peccata ipsi sint remissa, ac proinde justus sit,*) veram esse pernegamus. Ut enim Paulus scribit, Gal. 2. v. 16. *Scimus, non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi.* Sic nos certò & ἀπὸ τῆς πίστεως in corde nostrò statuere possumus, & nos credentes in Christum Jesum scire, quod justificemur non ex operi-

operibus legis, sed ex fide. Et ut Apostolus Paulus ibidem
v. 20. de se in individuo concludit, *vivit in me Christus*. Item,
Ego vivo in fide Filii DEI, qui me dilexit & tradidit semetipsum pro nobis.
Sic quilibet, verâ fide Christum amplectens, individualiter con-
cludere potest ac debet.

IV. Ad quaestionem itaque, *ubi nempe legamus, mihi, tibi,*
illi in individuo, remissa esse peccata, respondemus: id omninò le-
gi in illis à Becanò allegatis dictis, Act. 13. v. 29. *In hoc omnis, qui*
credit, justificatur. Et Rom. 3. v. 22. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in o-*
mnes, & super omnes, qui credunt. Nam sub universalibus illis promif-
sionibus se quilibet subsumere potest, nempe Ego credo: Er-
go sum justificatus: Ergo justitia DEI etiam in me & super me:
Quæ illatio certissima & firmissima est: Si enim omnis homo
est animal rationale: Et ego sum homo: Ergo nihil aliud,
quàm hoc sequi potest: quod ego in individuo sim animal ra-
tionale.

V. Respondet Becanus, procedere hanc similitudinem,
si in utroque syllogismo minor æquæ certa ac firma esset. Dicit
enim expresse, *applicationem illam non sufficere, & assumptionem in-*
certam & ambiguam esse. Quò indigitatur abominandum illud
dubitationis Pontificiæ dogma, quod anathemate propugnant,
non oportere eos, qui verè justificati sunt, absq; ullâ omninò dubitatione
apud semetipsos statuere, se esse justificatos, Concil. Trident. sess. 6.
cap. 9, Can. 11. Egregium sanè Theologiæ Papisticæ Emblemata,
quæ omni solidæ consolationis momentò destituta, in dubita-
tiones conjicit, ex dubitatione in gravissimas tentationes, ex
tentationibus in desperationem, ex desperatione in aeternum
corporis & animæ exitium præcipites agit.

VI. Scriptura verò salvificam fidem definit, non Acade-
micam aut Scepticam ἐποχῶ, non ἀδύραξιν aliquam: sed
πληροφροσίαν, πεποιθῆσιν, ὑπόστασιν, ἔλεγχον, παρησίαν:
Christus non dubitare filios suos, sed quemlibet confidere,
bonò animò esse jubet: Paulus certum se esse de salute suâ con-
firmat: Quem omnes fideles imitari debent.

VII. Calvinus hic pro se respondeat, quippe cum quò
in hoc puncto per omnia non facimus. Interim videatur ipse:
sanè ad hanc objectionem ex suâ parte satis argutè responder.
Et quia ibi agit de reprobis: quid horum vel furores vel erro-
res habent commertii cum certitudine justificatorum, ut hæc
ex illis impugnari possit? Mera ἀσυνλογία.

II X. Alterum argumentum proponit Becanus §. 3. Actus
fidei justificantis debet precedere justificationem, seu remissionem pecca-
torum: sed ille actus, quò quis credit, sibi remissa esse peccata, & se justi-
ficatum esse, non precedit justificationem, & remissionem; ergo non est actus
fidei justificantis: Major patet, quia omnis causa est prior suo effectu, ut
notum est ex Philosophiâ, fides autem est causa justificationis, ut constat ex
illò Rom. 5, 2. justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum. Et fatetur
Calvinus in antidoto Concilii Tridentini, sessione 6. ad Canonem 9. in verbis:
solam fidem justificationis causam esse intelligimus. Unde concludo, fidem
justificantem esse priorem ipsâ justificatione, sicut causa est prior effectu.

IX. Respondemus distinguendo inter causam efficien-
tem propriè dictam, sive principalem: & deinde inter id, quod
est tanquam instrumentum, sive manus, quâ accipitur id, quod
à causâ efficiente principali offertur. Actus sive ἐνεργεια causæ
efficientis principalis prior esse potest: Actus autem sive ἐνεργεια
illius instrumenti potest esse naturâ suâ posterior eò, quod
apprehendit: Sic in præsentî negotiò causa efficiens & pro-
priè dicta est misericors Dei voluntas. Remissa enim sunt pec-
cata in voluntate Dei: qui non expectat, ut amemus se, sed ipse
prior nos amat, & peccata remittit, quippe dilexit nos in di-
lecto, Eph. 1. v. 6. adeò ut respectu Dei omnibus hominibus ef-
sent remissa peccata, si modò hanc remissionem verâ fide sibi
applicarent.

X. Ludit ergo & fallit Jesuita Elenchò homony-
mias. Nam peccata esse remissa, intelligi potest dupliciter:
vel ratione DE Lacquirentis: vel ratione hominis applican-
tis. Illâ ratione remissio peccatorum illorum, qui in tempore
credituri & justificandi sunt, omninò, ut diximus, prior est,
actu & ἐνεργεια fidei justificantis, idque in Novò Testamento
duplici modo. i. ratione prævisionis divinæ. Ut enim illa æter-
na &

na & ab æternò est; sic quoque in respectu ad meritum Filii & fidem in tempore futuram, ab æternò Deus remisit peccata in tempore credituris. Si enim nos elegit in Christo, antequam jacerentur fundamenta mundi, *Ephes. 1. v. 4.* & quidem per fidem veritatis, *2. Thess. 2. v. 13.* utique peccata remisit ante conditura mundum, & sic ante omnia tempora in ipsâ æternitate suâ. cum electio sine peccatorum remissione esse nequeat, ut per se constat. Deinde ratione acquisitionis facta in tempore per obedientiam Filii legi præstitam, passionemque, mortem & resurrectionem suam: Quippe qui traditus est propter peccata nostra, & excitatus propter justificationem nostri, *Rom. 4. v. 25.* Priori modo justificatio & remissio peccatorum simplices prior est omni homine, & sic omni fide, & actu ejus sive *עֲשֵׂה יְהוָה*: quod nemo, & sic neque Becanus, aut ullus Jesuitarum, negabit. Posteriore quoque prior est omnibus, qui post Christi resurrectionem in mundum venerunt: quod itidem certum ac firmum est.

XI. Cæterum ratione acquisitionis peccata remitti dicuntur, quando illam gratiam Dei homo credens per fidem apprehendit & sibi applicat. Hanc fidem illâ remissione peccatorum non prior esse potest, sed posterior est: quando quidem in illam fertur, tanquam objectum suum. Deinde licet fides à nostris dicatur causa hujus applicationis; tamen id in strictâ & propriâ sive principali significatione vocis causæ non fit. Nam fides, ut non est causa acquisitionis remissionis peccatorum: Sic neque est causa propriè dicta applicationis, & sic actualis justificationis. Non enim fides hic quadam causalitate suâ influit, vel efficit, & sic suâ energiâ effectum hunc producit. Id enim in solidum Spiritui sancto est adscribendum: quippe qui per verbum in nobis fidem excitando remissionem peccatorum, ab æternò in Concilio Sacro-Sanctæ Trinitatis conclusam, & in tempore remissione Filii acquisitam, nobis applicat, ut sic justificati sive justi simus in conspectu Jehovæ. Quia igitur Fides non est causa propriè dicta, sed tantum ita nuncupatur generaliter & latè, tanquam id, sine quo applicatio illa fieri non potest.

potest, frustra disputat & urget Becanus prioritatem vel posterioritatem (ut sic loquamur) causalitatis: Cum hæc non detur, ubi non vera causa ponatur.

XII. Progreditur Becanus, & sententiam suam auctoritate Augustini confirmare conatur: Quod etiam docet, inquit, Augustinus libro de Spiritu & litera cap. 30. ubi statuit hunc ordinem in justificatione, ut primo loco sit lex, per quam est cognitio peccati. Secundo fides, que impetrat gratiam contra peccatum. Tertio gratia, que justificat à peccato. Verba Augustini sunt hæc: Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratie contra peccatum, per gratiam sanatio anime abolitione peccati. Et in Epistola 106. Et alibi sæpe repetit, per fidem impetrari remissionem peccatorum, ac proinde fidem esse priorem justificatione.

XIII. Respondemus, distinguendum esse inter prioritatem ordinis, & causalitatis. Augustinus ordine enumerat partes sive actus ad conversionem & sic justificationem hominis necessarios: non autem illos enumerat, tanquam habentes à se invicem dependentiam causalem, & sic ad se invicem prioritatem & posterioritatem causalitatis. Non enim hæc Augustini mens est, quod fides mereatur, & sic efficiat & acquirat illam gratiam: sed potius, quod remissionem peccatorum à solo Deo effectam & oblatam, & sic ipsa se fide priorem apprehendat. Non enim dicit, quod per fidem fiat sanatio, sed quod illa unice efficiatur per gratiam, fide nimirum apprehensam.

XIV. Quare quando aliàs Augustinus sæpius scribit, fide impetrari remissionem peccatorum, id non de aliquo merito vel efficacia intelligendam est, sed tantum de apprehensione ejus, quod virtute & energia sua nos justificat. Quippe qui satis claris ac perspicuis verbis se explicat Epist. 105. ita scribens: Perceptenda hujus gratie merita nulla precedunt: quoniam meriti impii, non gratia, sed poena debetur. Et iterum: Possunt quidem dicere, remissionem peccatorum esse gratuitam, que nullis precedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti possunt peccatores?

XV. Sanè hæc verba aut planè nihil significant, aut certe asserunt, nihil omninò boni esse, ne quidem fidem ante justificationem

stificationem. Aliter enim, ergo boni quidem meriti præcederet, quod enixè negat, ergo neque fides justificationem præcedit, ut causa sive meritum: quippe negat (ut dixi) Augustinus, ultimum bonum meritum præcedere justificationem: Ergo quando fides à Patribus causa & meritum appellatur, id non potest fieri, nisi *ἡ ἀπολύσις* sive etiam *ἡ ἀφεσις*.

XVI. Pergit autem Becanus: At verò quod actus ille, quo quis credit, remissu sibi esse peccata, non sit prior justificatione, ac proinde non sit actus fidei justificantis (quod probandum nobis est) ex eo convincitur, quia si esset prior justificatione & remissione peccatorum, jam is, qui crederet, remissa sibi esse peccata, falsum crederet. Nam dum ita crederet, non essent remissa, sed per illum ipsum actum remittenda.

XVII. Facilis est responsio: actus, quo quis credit, sibi remissa esse peccata, tempore quidem posterior est justificatione, ratione prævisionis divinæ & acquisitionis considerata: non verò ratione applicationis. An autem hoc respectu natura prior sit, dubitari potest. Et si vel maximè negetur, & contra actus hic fidei & remissio peccatorum ratione applicationis, simul esse asserantur; non tamen sequitur statim, actum fidei non esse, quo quis credat sibi remissa esse peccata: quique hoc credat, falsum credere. Fides enim fertur in certissimas Dei promissiones, credentibus remissionem peccatorum promittentes. Ibi autem dictum, factum: Promissio ipsa præstatio. Imò fides fertur in ipsum Christum, in quo omnis credens remissa habet peccata; quam remissionem suam morte acquisivit. Neque illam per suum credere primum efficit fides: sed illam, quam Deus vel effecit, vel jam actu efficit, apprehendit. Quare non rectè creditur, ut remittantur peccata; sed rectè remitti vel remissa esse peccata. Hinc Matth. 9. v. 2. ait Christus: *Confide, fili, et omnia sunt tibi remissa: quoniam quam vulgatus interpretes maluit per tempus præsens vertere: Remittuntur tibi peccata.*

XIX. Becanus: Responderi potest, inquis, illum actum fidei & remissionem esse simul: ita ut eodem instanti remittantur peccata, quo quis credit, ea sibi remitti. Sed de instanti temporis non disputo. Loquor

B

de

de ordine naturæ seu causalitatis: Juxta hunc ordinem dici non potest, actum illum credendi & remissionem peccati esse simul.

XIX. Responsum id jam est à nobis, & antea dictum, quod ordo causalitatis hic locum non habeat, cum fides tantum improprie dicatur causa: utpote non efficiat illam remissionem peccatorum; sed apprehendat. Si itaque oblatio & apprehensio relative acceptantur; non video, cur non simul esse, vel etiam si active sumantur, cur apprehensio oblatione secundum naturam non posterior esse queat.

XX. Becanus: Imò fateri coguntur adversarii, actum illum & priorem esse, & posteriorem remissione peccati, quantumvis absurdum adsit. Priorem quidem, quia est causa remissionis, ut ipsi asserunt; Posteriori rem vero, quia remissio peccati est objectum illius actus; actus autem præsupponit suum objectum. Hinc necessario debent concedere has duas propositiones: Remissionem factam esse prius naturâ, quam credas factam esse; alioqui judicium fidei non supponeret, veritatem objecti: & remissionem non esse factam, prius naturâ, quam credas factam esse, quia per illum ipsum actum credendi, tanquam per causam, fieri debet. Hæ autem propositiones contradictorie sunt.

XXI. Primum quæritur, quâ vi ac necessitate cogi possimus, ut statuamus, actum credendi & priorem & posteriorem esse remissione peccatorum: Nullâ sanè. Nam si intelligatur hæc remissio de applicatione, tum simul est cum actu hoc fidei apprehendentis. Si vero de prævisione, & acquisitione, tum necessario prior est, ut ex hætenus demonstratis patet.

XXII. Deinde sine ullâ absurditate duas illas propositiones concedere possumus. 1. Remissionem esse factam prius naturâ, imò & tempore, (nempe ratione prævisionis, & acquisitionis) quam credas. 2. Et remissionem non esse factam prius naturâ, (nempe ratione applicationis) quam credas factam esse, nempe rursus ratione prævisionis & acquisitionis. Nulla igitur in illis propositionibus (cum diversis respectibus affirmant & negent idem de eodem) est contradictio, ut indoctè sibi imaginatur Becanus.

XXIII. Pergit Jesuita ad tertium argumentum: Actus fidei, inquit, non debet tollere vel impedire orationem, sacramenta, & alia.

alia pia opera in sacris literis commendata, & ad salutem pertinentia, ut per se manifestum est: Atqui ille actus, quo quis certo credit, sibi remissa esse peccata; tollit & impedit omnia supra dicta: Ergo non est actus fidei justificans, sed potius impediens justificationem.

XXIV. Quis non videt, consequentiam hanc à Jesuita præcipitari, non induci? Perinde enim est, ac si ita argumentarer: Soli pulmones respirant: Ergo tolluntur & impediuntur reliquorum viscerum actus & officia, & frustra sunt data: Sola lux Solis illuminat: Ergo nihil proderit vel agit calor. Egregiæ consequentiæ, Jesuitis Sophistis dignæ! Impedirentur oratio, sacramenta, reliqua, si præter justificationem, nullæ essent partes Christianismi reliquæ: At agnoscimus nos quoque sanctificationem: & ad hanc illa esse utilia, imò necessaria, firmiter statuimus, & ex scripturâ demonstramus.

XXV. Sed audiamus, quomodo Jesuita minorem suam probet: Minor probatur, inquit, quia si certâ & Catholicâ fide credis, peccata tibi remissa esse, quomodo poteris adhuc orare, ut remittantur? quomodo dices cum Apostolis: Dimitte nobis debita nostra? Aut cum Publicano: Deus propitius esto mihi peccatori?

XXVI. Respondemus, nos credere, nobis remissa esse peccata, ratione meriti Christi, & sic acquisitionis: Interim tamen vult Deus, ut se invocemus, quo nobis in tempore illud meritum justitiæque Christi applicetur, & sic in tempore justificemur, nempe ratione applicationis. Invocationem itaque ad Deum instituimus, quia ita jussi sumus, & promissionem accepimus exauditionis: Unde etiam certo exaudimur, quando invocatio & preces ex fide fiunt & instituuntur; quæ indubitata fiducia fertur in meritum Christi, nobisque acquisitam remissionem peccatorum: & sic impetramus, quod petimus.

XXVII. Deinde licet remissa nobis sint peccata præterita, subinde tamen & quotidie de novo peccamus, & nobiscum vel sanctissimi: Quandoquidem quod Deo debemus, in hac corruptâ naturâ, præstare nemo potest, quod unanimis sanctorum omnium querimonia declarat, Job. 9. v. 15. cap. 15. v. 10. Psal. 19. v. 15. Psal. 130. v. 2. Psal. 143. v. 3. Proverb. 20. v. 9. Quare omnibus &

singulis quotidiana necessaria pœnitentia, & communis electorum omnium precatio, pro gratuitâ remissione peccatorum, dequâ Propheta canit, Psalm. 32. v. 7. *pro hac (remissione peccatorum) orabunt ad te omnes sancti in tempore oportuno.* Cum enim ipsi pro peccatis satisfacere Deo non possimus: hoc unum nobis reliquum est, ut ad Dei misericordiam confugiendo dicamus, sicut ab ipso Christo docti sumus: *Remitte nobis debita nostra,* Matth. 6. v. 12. simul verâ fide intuentes in promissionem divinam certissimam: *Invoca me in die tribulationis: eripiam te, & glorificabis me,* 1. sal. 50. v. 15.

XXIIX. Quæ autem esse potest tribulatio major, quam dolor, qui est ex agnitione peccatorum. In dolore itaque hoc nos vera fide erigamus, certissimam remissionem peccatorum credentes, & revera acquirentes, preces interim non intermittentes. Quandoquidem (ut ex mandato hoc divino est certissimum) Deus vult verâ invocatione, quæ ex fide proficitur, & obedientiâ coli: Hæc enim sunt sacrificia Deo placenta, Spiritus nimirum contritus, & cor humiliatum, *Psal. 51. v. 17.* & hi sunt vituli labiorum nostrorum, ut *Oseas cap. 14.* loquitur, & hostia viva, Deo quæ placens, rationalis cultus, *Rom. 12. v. 1.*

XXIX. Credendum igitur, sed simul orandum, ne incidamus in peccata, & si alicubi erratum fuerit, id nobis ex gratiâ condonetur; idque simpliciter, quia Deus ita vult, & sic jubet, adeo, ut non solummodo peccent, qui in rebus adversis ad idola, aut veneficas confugiunt, quod facit Saul apud Pytho-nissam in Endor *1. Samuel. 28. v. 7.* Sed etiam illi, qui in precibus faciendis sunt segnes: Cum perpetuo sit orandum, *Luc. 18. v. 1.* & *1. Thess. 5. v. 17.* *Indefinenter orate,* hortatur Apostolus: ne vel rebus secundis, & ex animi voto fluentibus, vel vanis imaginationibus, & stultâ hac securitate Jesuiticâ decepti existimemus, cum semel remissionem peccatorum fide verâ simus adepti, non amplius preces, vel pro remissione peccatorum, vel bonis hujus & futuræ vitæ impetrandis, nobis esse necessarias: Sed potius certò statuamus, hæc cultus divini membra se mutuo nequaquam tollere, sed suâ naturâ conjunctissima, & propterea

pterea semper in nobis conjungenda esse. Unde eadem conjunctim enumerat Apostolus Paulus, Rom. 10. cum ait: *Quod si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum suscitaverit à mortuis, salvus eris.* En habes fidem in corde, & confessionem in ore: His porrò ibidem accenset invocationem, cum ait: *Quicumq; invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Ergo licet homo sit justificatus, tamen pro remissione peccatorum precari debet, quia quotidie vel justissimus peccat, & invocatio illa est cultus divinus, quem Deus serio mandat, & à nobis exquisitè requirit.

XXX. Illustrare conatur Becanus rem exemplo: *Sit Calvinista, inquit, qui heri adulterium commiserit, hodie per fidem apprehendat justitiam Christi, & certò statuatur, peccatum illud sibi remissum esse per Christum.* Deinde, cum ceteris templum adeat, & orationem Dominicam pronunciet. *Quo sensu, quo animo is dicat, Domine dimitte mihi adulterium? Cur non potius metuat hanc aut similem reprehensionem, stulte & fatue quid agis? si certò credis, hoc peccatum tibi remissum esse, quid ultra mihi molestus es? Quid precaris, ut remittam? si autem dubitas, & firmam fidem non habes de remissione, quomodo postulas tibi remitti, quod sine firmâ fide remitti non potest?*

XXXI. Egregium sanè exemplum: quasi verò tam grande peccatum cum verâ fide, indeque fluentibus ardentissimis precibus consistere possit. Sanè qui in ejusmodi manifestis ac gravissimis delictis contra conscientiam vivit, is, quamdiu ita vivit, ad Deum castas manus elevare, eumque verè invocare nequit. Amisit enim Spiritum sanctum, sine quo nemo Christum vocare potest Dominum, neque Patrem, qui in cœlis est, in nomine ejus invocare. Ubi enim Spiritus precum non est, ibi neque preces sunt Deo placentes: Ubi autem hæ non sunt, ibi neque vera fides, neque peccatorum remissio.

XXXII. Quare si ejusmodi crassus peccator vult impetrare remissionem peccatorum, oportet prius agnoscat suum peccatum, veramque ac seriam agat pœnitentiam, & sic à peccato illo suo ad Deum se convertat, multis lacrimis istud deploret, spirituq; contrito, ac corde tristi & humili Deum invo-

et, ut sibi peccatum propter Christum remittat, simulque veram fide statuat, sibi in Christo per acquisitionem remissum esse, & jam per applicationem verè remitti.

XXXIII. Cur hoc modo peccator pœnitens non oret? Cur ab increpatione Dei sibi metuat? Profectò causæ nullæ sunt, cum contrarium doceat Scriptura, & Christus ipse omnes peccatorum sensu gravatos & oneratos blandissimâ voce ad se clementissimè invitet & alliciat, totum affectum bonitatis ac misericordiæ suæ in ipsos velut effundat & exoneret, quando *Matth. 11. v. 28.* in hæc verba erumpit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos.* Quandoquidem in hisce verbis præsentissimam consolationem paratam habent omnes, qui peccatorum seriâ pœnitentiâ ducti ad Dei gratiam aspirant. Quare nullus horum à Jesuitis sibi persuaderi patiatur, quasi aditus ad Christum per enormia sua peccata sibi interclusus sit, Christumque non habeat propitium Salvatorem, sed iratum judicem, ut immediatè illum adire, & veniam rogare admissorum peccatorum non liceat. Hæc inania & profus falsa, imò impia Pontificiorum sunt somnia & terricula-menta. Vocat enim hic Christus omnes, quotquot se laborare & oneratos esse sentiunt, iisq; universis auxilium & misericordiam suam expositam esse, liquidò profiteretur, quippe qui etiam propterea venit, ut peccatores vocaret ad pœnitentiam *Matt. 9. v. 14.* ut quæreret & servaret, quod perierat, *Matt. 18. v. 11.* ut peccatores salvos faceret, *1. Tim. 1. v. 15.* & apud Johannem *cap. 6. v. 37.* affirmat, *eum, qui venerit ad me, non rejicio foras.*

XXXIV. Deinde neque objurgatio talis, qualem fingit & sibi imaginatur Jesuita, metuenda est. Quandoquidem precibus seriis peccatoris, agentis pœnitentiam, delectatur Deus: neque ulla in illis est contradictio. Remissio enim peccatorum jam olim per Christum est acquisita, quam firmissimâ fide credit: applicatio autem quia quotidie fit, ac fieri potest, & ut fiat, promissa est, illam ardentissimis precibus à Deo petit.

XXXV. Quibus sic explicatis ac refutatis, per se corruunt,

raunt, quæ Becanus annectit : *Ut persistam*, inquit, in hoc argu-
mento, res à simili explicanda est. In Scholâ Calvini tam certò ac firmiter
unusquisq; debet credere, remissa sibi esse peccata propter Christum, quàm
certò ac firmiter credit, Christum esse natum, & pro nobis mortuum ac cru-
cifixum. At, si quis Deum oraret, ut Christus nasceretur, moreretur & cruci-
figeretur, is procul dubio infidelis esset, quia judicaret Christum non esse na-
tum mortuum & crucifixum, quod repugnat fidei: ergo similiter, si oraret
Deum, ut remittantur sibi peccata, non minus esset infidelis, quia judicaret,
peccata non esse remissa, quod repugnat fidei Calvinistarum.

XXXVI. Respondemus, similia hæc esse dissimilima, &
quidem in illo ipso, in quo similitudo maximè esse debeat. Nam
certum ac firmum est, Christum jam olim esse natum, esse pas-
sum, mortuum, & pro peccatis nostris oblatum, & quidem semel,
Hebr. 7. v. 27. & c. 9. v. 12. & cap. 10. v. 2. ideoque impossibile est, se id
iterum fieri vel ἀπλῶς, vel certo modo, respectu ac ratione. Er-
go qui Christum sic credit, oportet credat illa facta, & nullo
modo amplius futura esse, vel denique fieri posse. Absurdissi-
ma igitur est & impia illa Pontificiorum theatrica actio, quæ
Christum denuò tanquam incruentum sacrificium, quotidie
offerunt pro vivis ac mortuis. At verò longè aliter se habet cum
remissione peccatorum, quæ duplici modo ac ratione conside-
rari sæpius diximus: Nempe primùm ratione acquisitionis, at-
que eo modo dudum in Christo & per Christum facta est, pro-
indeque ut passio & mors Christi non amplius futura, sic neque
hæc remissio amplius futura est, quippe dudum, ut diximus,
peracta & præstita: proindeque sic credenda est: Deinde ratio-
ne applicationis, quæ quotidie fieri, ac propterea futura esse
potest: quare & hæc firmiter vel ut futura, vel quando jam actu
fit, ut præsens, credi potest ac debet. Quid hic absurdi? quæ
contradictio? Nugæ Jesuiticæ sunt.

XXXVII. Taceo, quod si vel maximè de futurâ adhuc
peccatorum remissione fides statueret, tanquam de peractâ &
acceptâ, necdum ejusmodi contradictio & inconueniens esset
metuendum. Fides enim est earum rerum, quæ sperantur, *ἐπι-
στασις*

ἐστίν, hoc est, subsistentia sive substantia ipsa, *Hebr. 11. v. 1.* a deo & vi fidei, illa, quæ nondum actu existunt, sed adhuc futura sunt, ratione certitudinis ac immotæ ac infallibilis divinæ veritatis credenti fiunt & sunt præsentia & præstita. Spes enim innititur divinæ, immutabili ac infallibili promissioni: Hujus fides est correlatum: Ut ergo res in promissione divinâ est & offertur, ita fide apprehenditur: At res in promissione divinâ est certa, est amen, est præsens, & quasi præstita offertur: Ergo sic eam apprehendit fides: nempe ut certam, ut infallibilem, ut præsentem, ut præstitam. Quare etiam is, qui ejusmodi immotâ ac infallibili certitudine præditus est, de re, licet in se futurâ, tanquam de actu præsentem, vel etiam peractâ & præstitâ, rectè statuere ac loqui potest, ac virtute ac certitudine fidei confirmatus & *ἀσφαλιστός* redditus debet: Secus enim si faceret, nondum certus, sed adhuc dubius, non firmâ fiduciâ præditus esset, sed incertâ adhuc opinione fluctuaret & ambigeret. Verâ ergo fide præditus, judicare debet promissa divina esse præstita, ibi dictum factum, nullum dubium, sed omnia certa, & amen.

XXXVIII. Hinc quoque in ipsâ scripturâ hic loquendi modus est usitatissimus, ut de futuris, sed à Deo prædictis ac promissis, loquatur, tanquam de actu præsentibus & existentibus, licet adhuc ratione existentie post aliquot secula futura fuerint. Ut *Esaia 9. v. 6. Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis.* Eni ibi Puer natus dicitur tum, quando ejus nativitas adhuc ultra sex secula futura expectabatur. Exempla similia ubique occurrunt.

XXXIX. Potuisset igitur contra *Esaia* eodem modo disputare Jesuita, quo nobis dicam scribit, esse nimirum contradictionem in vaticinio ac promissione illâ. Si enim natus tum fuit, ut loquitur Propheta; contra fidem adhuc ultra sexcentos annos fuit expectatus: vel si post tot secula fuit primùm futurus Messias: falsum erit, quod dixit Propheta: Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis. Verùm absit hoc.

XI. Ut ergo Propheta propter certitudinem promissionis divinæ rectè usus est præterito tempore: Sic quoque nostra
stra

Ita fides certò statuere potest, remissa esse peccata: quia propter promissionem divinam immotam, cui respondet fides, licet remissio nondum facta sit, tam certa est, ac si revera facta, & justificationis applicatio præstita & peracta dudum fuisset. Omne enim, quod credimus firmâ fide, id tanquam præsens & præstitum fides intuetur, non tanquam futurum expectat, cum sit, inquam, *ὑπόστασις* rerum sperandarum: Et inter alia in eò à spe distinguitur, quod spes in futura fertur: Fides autem in præsentia, adeò, ut, licet nondum ratione existentia præsentia vel peracta sint: tamen tam certa, ac si præsentia & peracta essent, faciat: quia (ut dictum) etiam sperandarum, & sic futurarum vera hypostasis est. Et spes ipsa suam certitudinem in fide habet. Quandoquidem fidei, tanquam basi & fundamentò innititur. Quare tantum ex certitudine fidei de spei immotâ certitudine potest judicari. Quia enim fides amplectens gratuitam remissionem peccatorum & justitiam, certa est, & indubiam Dei promissionem fundamenti locò habet: Idcirco spes etiam, expectans venturam æternam beatitudinem, certissima est: Quantumvis oculis corporis non videatur.

XL I. Fides igitur remissionem illam intuetur, tanquam præstitam, quoad certitudinem: quippe nullò modò dubitare potest de illâ, cum sit, (ut adhuc repetamus) *ὑπόστασις* ejus, & in fiducia illâ suâ immotâ & ἀμεταπρόσωπῶς illam possideat: Oratione autem petit, ut Deus immutabilem & infallibilem suam promissionem impleat.

XL II. Quæ rursus hic contradictio? sanè nulla: nisi quod talis appareat in cerebrò Jesuiticò, statuente, hominem, quantumvis renatum & fidelem, de gratiâ Dei non posse certum esse, sed de eadem etiam num dubitare debere. Quod verò, si verum esset, quomodo fides dici posset *ὑπόστασις*? quomodo ἐλεγχῆ?

XL III. Concludit tandem Becanus hoc tertium argumentum his verbis: *De Sacramentis, & piis operibus idem dicendum est. Nam quorsum hec necessaria sunt, si certò persuasus es, te coram*

○

Deo

DEO justificatum esse; nec amplius indigere ullò remediò ad peccatorum remissionem impetrandam? frustra Ananias dixit Saulo, *Actor. 22. v. 16. Exurge & baptizare, & ablue peccata tua. Quare frustra? quia juxta Calvinum, jam certò credebat Saulus, peccata esse abluta.*

XLIV. De Sacramentis ut seorsim agamus, diserta sunt verba Pauli, Baptismo ablutioem peccatorum tribuentis, sed suò modò, hoc est, Sacramentaliter: quod quid sit, ipse rursus Paulus in circumcissione docuit, *Rom. 4, v. 11.* nimirum esse *σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως*, *signaculum justitiæ fidei.* Qui igitur docuit, Abrahamum solâ fide justificatum esse; ille ipse quoque docuit, eundem accepisse sigillum justificationis, circumcissionem: quî minus Christianos, Baptismum. Si ergò concedendum, quod Sacramenta justificent, utiq; concedendum, solâ fide constare justificationem: Et rursus, si concedendum, solâ fide constare justificationem; utiq; Sacramenta justificabunt. Si enim id non esset, non essent Sacramenta *σφραγίδες τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως.* Justificant ergo Sacramenta, fidem justificantem, & sic ipsam justificationem sive justitiam imputatam obsignando: haud secus ac literæ atque sigillum non significant tantum, sed etiam plenam rei significatæ possessionem dant & obsignant. Atque sic Apostolus Paulus *Actor. 22. v. 16.* in veræ fidei obsignationem Baptismum accepit.

XLV. Reliquorum quoque operum necessitas nequaquam negatur, negato hoc, quod non salutem & justificationem operentur. Paulò ante diximus, consequentiam à Becanò non induci, sed præcipitari: Quandoquidem de Sole rectè dicitur, quod lux ejus sola illuminet, inde tamen perperam inferretur, ergò nihil agit calor: quia hoc non agit. Plures sunt partes Religionis Christianæ, quàm justificatio, quas præcipuas complectitur sanctificatio: Ad hanc igitur (ut diximus) utilia, imò necessaria sunt cætera pia opera.

XLVI. Sequitur quartum argumentum, à Becanò adductum §. 5. *Quando scriptura loquitur de fide justificante, non loquitur.*

loquitur de illò actu Calvinisticò, quò quis certò credat, remissa sibi esse peccata, sed de aliquò aliò actu: ergo actus ille Calvinisticus, non est actus justificans. Antecedens probatur ex variis locis scripturæ. Primus est ille Hebr. 11. vers. 6. Sine fide impossibile est placere DEO. Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Hic sine dubio agit Apostolus de fide justificante, ut colligitur ex illis verbis: Sine fide impossibile est placere DEO. Et fatetur Calvinus lib. 3. Inst. cap. 14. §. 4. in fine. At quis est actus hujus fidei justificantis? An ille Calvinisticus, quò quis certò credit, peccata sibi remissa esse per Christum? At de hoc nulla hic mentio. Quis ergò? Audi ipsum Apostolum: Oportet credere, quia DEUS est, & quia inquirentibus se remunerator sit. Alter locus est Rom. 10. vers. 9. Si confitearis in ore tuò Dominum Jesum, & in corde tuò credideris, quod DEUS suscitavit illum à mortuis, salvus eris. Hic etiam constat, agi de fide justificante, ut ostendit illa particula, si credideris, salvus eris. Sed quid oportet credere, ut sis salvus? an, remissa tibi esse peccata? Non hoc dicit Apostolus. Quid ergò? Jesum esse à mortuis resuscitatum. Tertius locus est Joh. 20. vers. 31. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius DEI, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Certè hæc fides, de quâ loquitur Evangelista, justificans est, quia adfert vitam, & est illa, de quâ Paulus, Rom. 1. vers. 17. Justus ex fide vivit. Quis verò hujus fidei actus? Non Calvinisticus, sed Evangelicus: Credere Christum esse Filium DEI. Hunc actum habuit D. Petrus, cum dixit Matth. 16. vers. 16. Tu es Christus Filius Dei vivi. Et quidem à DEO habuit, ut ibidem testatur Christus: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Omitto multa alia similia loca, quæ intelliguntur de fide justificante, & tamen non possunt explicari de speciali fide remissionis peccatorum, sed de fide divinitatis, & aliorum mysteriorum.

XLVII. Respondemus ad antecedens Enthymematis principalis negando illud. Quandoquidem manifestè contrarium docet, nostramq; sententiam probat Petrus Apostolus

in Concilio Hierosolymitano, Act. 15. v. 9. dicens : *Quid tentatis DEUM, ut ponatur jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus: Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus, nos salvos futuros, quemadmodum & illi.* Et Actor. 10. v. 43. *Huic (Jesu Nazareno) omnes Propheta testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum.* Et Matth. 9. vers. 3. dicit Christus ad Paralyticum : *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.* Conferatur Rom. 3. v. 22. & seqq. Rom. 4. v. 5. & seqq. Gal. 2. v. 16. Job. 20. v. ult. &c.

XLIX. Probatio antecedentis nulla est. Continent enim verba illa Epistolæ ad Hebræos 1. descriptionem fidei, quam duabus partibus definit, nempe notitiâ, *quod sit DEUS:* & deinde fiduciâ : *quod Deus sit propitius remunerator querentibus se, idque propter Christum:* quæ posterior est principalior pars fidei, & ejus velut anima est. Illa enim cum deest, sola historiae notitia est, quæ nihil homini confert aut prodest. Nam & Dæmones credunt, quod sit DEUS, & contremiscunt; quia carent fiduciâ. Duabus ergo hisce partibus quæ constat fides, salvifica est: Cujus deinde hic additur consequens: quod est *placere DEO.* Cum enim naturâ simus peccatores, nisi remissa & tecta sint peccata, DEO, apud quem nulla iniquitas est, placere non possumus. Jam verò peccata non reguntur aliter, quàm fide in Christum. Ex quibus liquet: quod hoc consequens: *placere DEO:* non neget antecedens: nempe *per fidem remissa esse peccata,* ut falsò sibi imaginatur Becanus, sed supponat. Nam propterea placemus DEO: Quia credimus in DEUM, & credendo in DEUM, habemus tecta peccata.

XXXIX. Deinde in genere ad totum discursum Becani respondemus: Fidem salvificam duplici modo considerari. Primum respectu & ratione objectorum generalium, quæ ad notitiam generaliter pertinent, eique objiciuntur: Et deinde respectu ac ratione objecti illius specialis, quatenus notitia illa infor-

informata est fiducia. Illò priore respectu ac ratione considerata fidei, multi tribuuntur in sacrâ Scripturâ actus: qui etiam esse possunt extra actum justificationis: ut credere esse DEVM: credere DEVM esse remuneratorem; mundum esse creatum: CHRISTVM esse Filium DEI, Christum esse mortuum, & resurrexisse: Baptismum esse lavacrum regenerationis: Christum venturum & iudicaturum vivos & mortuos: imò omnes Articulos fidei, quoad historiam credere potest: Atque tales fidei actus non tantum in homines fideles cadunt, sed etiam, ut diximus, in ipsos Diabolos: sed contemiscunt.

L. Posteriore verò modò ac respectu in punctò justificationis, quando consideratur fides, quatenus justificans est, tum hic peculiaris ipsi tribuitur actus, nempe credere firmissimâ & indubitata fiducia, peccata ratione acquisitionis per Christum esse remissa: Et ratione applicationis etiam propter eundem Christum certò ac indubitatò remitti. Atque hic actus præsupponit ceteros: Non verò ceteri hunc ipsum: ut patet de Diabolo. Ratio hæc est: nam notitia necessariò quidem requiritur in fide salvificâ: sed non contra. Quandoquidem notitia illa sine fiducia esse potest, & tunc tantum fides historica est: Non autem fides salvifica potest esse sine illâ notitiâ, (licet in aliis sit plenior & perfectior in aliis non adeò plena & imperfectior) quippe in quâ fiducia illa fundatur. Unde diversi concedendi in fide justificante sunt actus: quippe completitur in se vel omnes, vel plerosq; actus fidei historice: præter illos verò singularem actum sortitur, qui consistit in fiducia, in misericordiam & meritum Christi directa, in quâ confidit, se habere remissionem peccatorum, & revera illa fiducia eam obtinet.

LI. Sola anima hominis hominem in esse constituit facultate sive potentiâ rationali: Inde autem non sequitur: Ergo animam hominis non habere plures potentias: vel quia animæ hominis aliæ adhuc tribuantur facultates, inde statim inferen-

ferendum esse, non illam secundum facultatem rationalem
constituere hominem; sed secundum alias, quæ ipsi tribuan-
tur. Ut ergo suprema ac formalis facultas animæ hominis est
potentia rationalis, hominem animal rationale constituens:
Sic quoque actus ille, quo creditur, remissa propter Christum,
esse peccata, est in fide salvificâ supremus, & quasi cæteros in-
formans ac determinans. Quare licet in suâ essentiâ noticiam,
assensum, & varios inde actus progredientes, complectatur,
non tamen sunt actus specifici: qui est solus ultimus ac supre-
mus, ut diximus.

LII. Pergit Becanus §. 6. Imò, quod mirum est, ea ipsa testi-
monia, quibus adversarii contra nos contendunt, solam fidem sufficere
ad justificationem, nihil minus, quam actum illum Calvinisticum præ se
ferunt, ut Matth. 9. vers. 2. Videns Jesus fidem illorum, dixit
paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et infra
vers. 22. Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et Luc. 17, 19.
Vade, quia fides tua te salvum fecit. Et Luc. 18. v. 42. Respice, fi-
des tua te salvum fecit. Hæc, & id genus alia, quæ opportunè ob-
jiciunt nobis adversarii pro solâ fide justificante, nullò modò in-
telligi possunt de actu illò, quò quis credit, remissa sibi esse peccata,
per Christi mortem ac passionem, sed de illò, quò, qui à Christò sa-
nati sunt, credebant, eum habere vim sanandi, & se posse ab eò juva-
ri, ut ex ipsò contextu patet.

LIII. Sed manifesta hæc textuum Biblicorum depravatio,
quam vel ipse Bellarminus refutat: quando librò primo de justi-
ficat. cap. 17. ita scribit: Tertium argumentum, quod etiam potis-
simum est, sumitur ab iis locis, quæ docent, per fidem impetrari remis-
sionem peccatorum, atque per hoc justificari hominem ex fide &c.
Et post pauca: Confirmat autem hanc efficaciam fidei, quod Matth.
15. legimus dictum Chananaeæ: ô mulier magna est fides tua. Et Mar-
ci 7. propter hunc sermonem vade, exiit Daemonium à filiâ tuâ. Hic
enim apertè tribuitur fidei efficacia impetranda sanitatis. Neque
responderi debet, aliud esse, loqui de justificatione, aliud de cura-
tione morbi corporalis. Nam Dominus iisdem planè verbis tribuit
fidei

fidei utramq; sanitatem : Peccatrici enim dixit : Fides tua te salvam fecit Luc. 7. & mulieri curatae à fluxu sanguinis, similiter dixit : Fides tua te salvam fecit, Matth. 9. & cæco illuminato etiam dixit : Fides tua te salvum fecit, Marci 10.

LIV. Et sanè exemplum de paralyticò adductum, importunam Becani vitiligationem solidè refutat. Quandoquidem ex verbis Christi intelligere est, quod duplicem in ægroto deprehenderit morbum, alterum animæ, corporis alterum : simulque perspexerit, ipsum non levius spiritali animæ morbo, sive tentatione peccatorum torqueri, quàm corporis externâ paralyfi effligi. Quia verò peccatum omnium malorum ac morborum unicam corporis causam ac matrem novit Salvator, utiq; ut plenè ac integrè ipsum sanaret, veram causam morbi, nempe spiritualement morbum; ante omnia remove voluit. Conversus ergo ad paralyticum jubet ipsum credere, sed dico tibi, inquit, confide fili, & plenâ animi fiducia tecum certò statue, tua tibi peccata à Deo misericordi esse remissa. Rectè igitur statuit Bellarminus, quod de similibus idem esse debeat judicium. Proindeque cum omnium incommodorum, ut diximus, causa propria sit peccatum, noluit Christus homines à DEO ullum horum levamentum sperare, nisi per remissionem peccatorum : Ipseque nullum ægrotum superficialitè, sed planè integrèq; sanare, proptereaque omnium primò spirituale malum, tanquam corporalis mali fontem ac originem tollere : hoc est, veram fidem in animis excitare, peccata remittere, sicq; prius animam, post corpus curare : ut licet non semper sanatio animæ expressis verbis indicetur; semper tamen subaudiatur & subintelligatur.

L V. Pergit Becanus §. 7. *Ne sim prolixior in citandis scripturis, quæ passim occurrunt, unum duntaxat peto à Calvinò, & ejus discipulis, ut, vel unicum locum ostendant in sacris literis, ubi fides justificans sumatur pro illâ speciali fide, quâ quis certò sibi persuadet, se à peccatis justificatum esse. Si aliquis ejusmodi est, cur non exhibent? Si non est, quid persistunt in errore? quare pertinaciter*

ver tuerentur, quod ex Scripturis tueri non possunt? Celebre apud illos est illud Apostoli Rom. 4. 3. Credidit Abraham Deo; & reputatū est illi ad justitiam. Sed hoc ipso textu confodiuntur. Nam fides Abrahæ, quæ ad justitiam illi reputata est, non consistebat in eo, quod certò crederet, remissa sibi esse peccata. (Hoc enim nusquam asserit, Scriptura) sed in eo, quod crederet, se futurum patrem multarum gentium ex filio, quem sibi centenario uxor nonagenaria & sterilis, præter solitum naturæ cursum, paritura esset. Id autem credere, nihil aliud erat, quam credere, DEUM, qui promiserat, omnipotentem & fidelissimum esse. Hoc expressè explicat Apostolus in eodem capite v. 18. ubi de fide Abrahæ sic loquitur: Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei, sic erit semen tuum, sicut stella cæli, & arena maris. Et non infirmatus est fide: nec consideravit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ, sed confortatus est fide, plenissimè sciens, quia quæcumq; promisit DEUS, potens est & facere. Nescio, an aliquid clariùs adduci possit ad refellendum Calvinistarum errorem de actu fidei justificantis. Sed cæci sunt, & in tenebris ambulant. Oculos habent, & non vident.

LVI. Ut abundè satisficiamus Jesuitæ, in medium adducimus Paralyticum, Matth. 9. ad quem Christus vers. 2. θάρα, confide, inquit, fili, remissa sunt tibi peccata tua. En hic Christus à paralyticò requirit fiduciam, & quidem specialem: non enim poscit in genere fidem; sed hujus Paralytici, ergo non universalem aliquam fidei ideam, sed hanc, quæ in animò Paralytici particulariter sit, quæque credat non in genere remissionem peccatorum, sed in specie ac individuo sibi remissa esse peccata: & nequaquam dubitet de remissione peccatorum: sed eam certò sibi persuadeat; utpote quam ipse Christus ei denunciat, qui mentiri nesciat. Quæ sanè sunt ipsò Sole in meridie solstitiali splendente clariora.

LVII. Eadem fides particularis est, & demonstratur in absolute Evangelicâ, de quâ pronunciat Christus, Matth. 18. v. 18. Amen dico vobis, quæcumq; ligaveritis in terrâ, erunt ligata in cælò: & quæcumq; solveritis in terrâ, erunt soluta in cælò.

in caelo. Et rursus Joh. 20. v. 23. *Quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis; quorumcunque retinueritis, retenta sunt.* Quoniam ergo in Evangelica hac absolutione, privata imprimis, singulis in individuo respicientibus, credentibusque sibi peccata remitti, denunciatur peccatorum remissio, eamque renunciationem, se ratam habiturum spondet, imò jurat Christus, sanè ejusmodi individualis peccator poenitens & sua speciali ac individuali fide credens, eam ministri vocem & annunciationem non aliter accipere debet ac potest, quam si Christus illi astaret, ut olim paralytico, diceretque: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata.*

LIX. Certum ergo est, quod Evangelica illa absolutio non occupata sit circa fidei generalem ideam, sed circa hanc fidem hujus credentis: Est enim hæc hujus credentis fides particularis, singularis, individualis, non generalis, quâ credit poenitens non in genere remitti peccata, sive in Ecclesiâ donum esse remittendi peccata, sed sibi in individuo remissa esse: atque per hanc fidem specialem hoc individuum hic peccator credens à peccatis absolvitur.

LX. Cæterùm hominibus poenitentibus ac in Christum credentibus omnibus ac singulis, & sic huic, illi, tertio, quarto, quinto, etiam in singulari ac individuo gratuitum favorem & bonitatem suam religiosissimè spondit DEUS, non promissione nuda, sed juramento confirmata, Ezech. 33. v. 11. *Vivo ego, nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat.* Nempe cum vellet immotam gratiæ suæ certitudinem in nostris, & sic in meo, tuo, illius, istius &c. cordibus sancire, mihi, tibi, illi, isti, consilii ac promissionis suæ eximiam firmitatem demonstrare, interposuit jusjurandum, ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non posset, ut mentiretur DEUS, validam consolationem ego, tu ille, ipse ac singuli haberemus: Ergo piaculum sit mihi, tibi, illi, isti & singulis nobis, hanc promissionem in dubium vocare, & non firmissimâ quilibet speciali ac individuali fide amplecti: Quicumque enim in individuo huic testimonio DEI non credit, mendacem facit eum, Joh. 5. v. 24.

61. Dein-

LXI. Deinde gratiam illam & peccatorum remissionem Dominus fidelibus non in genere, sed in specie ac individuo singulis, mihi, tibi, illi, isti, & sic cuilibet obsignat arrhabone hereditatis Spiritu Sancto, 2. Cor. 1. vers. 21. Ephes. 1. v. 14. Sicut scriptum est: Non accepistis Spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Idem Spiritus testimonium perhibet nostro spiritui, quod simus filii DEI.

LXII. Hæc certè obsignatio non fit in genere, sed in individuo. Sic Spiritum adoptionis non accepit generalis & idealis homo, sed hic, ille, iste, & sic singuli in individuis suis existentibus, & suam quilibet fidem individualement certam ac firmam habens: Sic non generalis ac idealis fidelis, sed hic, ille, iste, credens non generali, sed quilibet suâ speciali ac individuali fide, quâ credit, sibi remissa habere peccata, seque DEO esse reconciliatum, Deumq; agnoscit benignissimum suum ac clementissimum Patrem; clamat Abba Pater. Omnia igitur hæc suam veritatem habent non in generali ideâ, sed in specialibus particularibusq; individuis. Quare etiam nihil aliud volunt, quàm in singulis fidem debere esse particularem, & quemlibet habere suam fidem, atque illâ in specie ac individuo credere, sibi remissa esse peccata.

LXIII. Sic Sacramentorum quoque usu DEUS de suâ gratiâ facit certos eos, qui agnitis peccatis ad Christum suâ fide particulari confugiunt. Quandoquidem & Baptismus præstat, ut conscientia bona respondeat apud DEUM, 1. Petr. 3. Ac in usu cœnæ Dominicæ unicuiq; sigillatim obsignatur meritum passionis ac mortis Domini, idq; nobilissimò pignore Novi Testamenti, Domini nostri Jesu Christi corpore & sanguine. Quis jam utitur Sacrà cœnâ? Quis baptizatur? non sanè universalis aliqua idea hominis, sed hic homo, ille homo, hoc individuum, istud individuum. Ergo in hoc individuo obsignatur meritum Christi: Ergo hoc individuum est particulari & suâ fide præditum, quâ meritum illud apprehendit, ut sic obsignatio ejus fieri queat.

LXIV. Quocirca hæc & similia in sacris literis ubique con-

contenta, nullô modô de generali ac ideali fide, remissione peccatorum, ejusq; obfignatione possunt intelligi, sed simpliciter de ejusmodi universali, quod distributivum est, nempe distributum in singulos & individua, ibique suam habet veritatem, nempe in individuis, non in vaga aliquâ ideâ Platonica.

LXV. Sic de particulari fide expressis verbis agit Christus Joh. 6. v. 47. *Amen, Amen, dico vobis: qui in me credit, (hoc est, ille, ipse, in individuo existens, suâ fide particulari in me credit) habet vitam aeternam.*

LXVI. Adducere quoq; possumus exempla, ut latro in cruce Luc. 23. v. 42. Certè hic suâ & sic speciali fide in Christum credidit. Sic Maria Magdalena Luc. 7. suâ fide particulari prædita accedit ad Christum, exercet vera fidei opera: agnoscit peccata sua, veram agit pœnitentiam, lachrymis Christi rigat pedes, capillis capitis sui extergit, tingit & osculatur: Unde & absolutionem hanc consolationis plenissimam accipit à Christo: *Remissa sunt tibi peccata*, v. 48. Sic in eodem capite suam particularem habet fidem Centurio, quem Christus maximoperè prædicat, quod tantam fidem in Israel non invenerit. v. 9. Et Apostolus Paulus, Rom. 8. agens de justificatione, & sic implicite de fide justificante, qua tam certus est de suâ salute, v. 33. ut ab eâ certitudine neque per Angelos, neque per principatus, neque per mortem, neq; per vitam, neque per instantia, neq; futura dimoveri possit. Qui verò adeò certus est de suâ salute, is speciali fide certissime sibi persuadet, se à peccatis justificatum esse.

LXVII. Deinde quæ objicit Becanus de fide Abraham, quam allegare solemus ex Rom. 4, v. 3. primum respondemus, falsum esse, DEUM in promissione suâ Abraham factâ tantum loqui de carnali posteritate; cum omnium maxime & principalissime seminis voce intelligat, simulq; complectatur & includat benedictum illud semen ex Abrahamo proveniturum, nempe Christum, in quò essent benedicendæ omnes familiae terræ; Galat. 3. v. 16. Quod Abrahamus optime intellexit: proindeq; promissionem illam, quæ Christum princi-

paliter respiciebat, fide apprehendens, justificatus est. Intellexit hoc, inquam, Abraham, siquidem per fidem hanc suam vidit diem Christi, & gavisus est, *Job. 8. v. 56.*

LXVIII. Hæc ipsa fides omninò etiam respectum habuit ad omnipotentiam & veritatem DEI. Non enim movetur ullis objectis aut argumentis humanæ rationis; sed simpliciter in promissionem DEI intuens non hæsitat per diffidentiam, sed tribuit DEO gloriam veritatis & omnipotentia, quod is, qui promisit, & certò velit, & potenter etiam possit promissa sua implere.

LXIX. Deinde capite quarto agit Paulus de eadem fide justificante, de qua egerat capite tertio. Quarto enim capite ad illustrandam illius fidei justitiam assumit, ex Veteri Testamento exemplum, auctoritatis ac ponderis plenum, nempe summi Patriarchæ Abrahamæ: At fides cap. 3. descripta pro objecto habet sanguinem Christi, *Rom. 3. v. 25.* qui emundat nos ab omni peccato, *1. Job. 1. v. 7.* Proindeque per fidem illam impetramus remissionem peccatorum, *Rom. 3. v. 25. 26.* Uti etiam idem tribuit Paulus fidei, qua Abraham præditus fuit, *cap. 4. nempe vers. 5.* quod fides illa, qua creditur in eum, qui justificat impium, imputatur pro justitia. Verùm credere in illum, qui justificat impium, est certò ab illo expectare remissionem peccatorum propter Christum.

LXX. Quod attinet *vers. 18.* ubi dicitur *Abraham credidisse præter spem sub spe*, illo nihil contra nos, sed potius pro nostra sententia concluditur: quippe explicatur sic plenius natura fidei: quod nimirum credat, ubi rationis iudicio nihil sperandum, nihil credendum est, rursus exemplo Abrahamæ, qui divinæ promissioni fidem habuit præter spem rationis sub spe fidei, respiciendo ad indubiam & infallibilem promissionem DEI dicentis: *Sic erit semen tuum &c.* Quæ verò promissio, non (ut sibi imaginatur Jesuita) carnalem duntaxat posteritatem Abrahamæ, sed multò magis spiritualem illam posteritatem omnium credentium respicit. Omnia
um au-

um autem maximè (ut diximus) semen illud benedictum in-
cludit, cujus fide fiunt illi, qui credunt, filii Abrahamæ. Ne-
scio equidem, an quid clarius adduci possit ad informandos
Jesuitas : Sed cœci sunt : oculos habent, & non vident, au-
res habent, & non audiunt : quippe jurarunt in errores Pa-
pæ Romani.

LXXI. Tandem disputationem hanc concludit Becanus §. 8. his verbis : *Objici potest illud ex Symbolo ; Credo remissionem peccatorum, sed frustra. Nam sensus illius Articuli non est, credo mihi remissa esse peccata, sed credo & confiteor, in Ecclesiâ Catholicâ esse donum remissionis peccatorum, quod per Baptismum, & alia Sacramenta percipitur. Unde, quod in Symbolo Apostolico dicitur : Credo remissionem peccatorum, in Constantinopolitano explicatur : Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et Catechumeni, qui ante Baptismum recitant & credunt totum fidei Symbolum, non jam habent, sed adhuc expectant remissionem per Baptismum obtinendam.*

LXXII. Primùm concedimus, quod credatur, in Ecclesiâ esse donum remissionis peccatorum. Sed quæritur, quibus hoc donum conferatur ? Profectò illis, qui credunt remissionem peccatorum. Quare utrumque complectitur ille Articulus ; & hoc posterius cum priore necessariò cohæret. Si enim non : tum eodem modo deberet intelligi subsequens Articulus, *Credo carnis resurrectionem* : Et sic non crederet Christianus suæ carnis resurrectionem : sed duntaxat in Ecclesia Catholica fore carnis resurrectionem. Quid verò ineptius ? Quid absurdius ? Quid etiam mihi prodesset ejusmodi fides ; qua non de meæ carnis resurrectione certus esse possim ? Quare ut Christianus omninò in Symbolo Apostolico credit carnis resurrectionem : Sic quoque idem in eodem Symbolo credat, sibi remissa esse peccata.

LXXIII. Deinde glossa illa Becani desumpta ex Concilio Constantinopolitano, falsissima est. Quandoquidem Canon ille Concilii istius non est explicatio hujus articuli in Symbolo Apostolico : Nam hic agit simpliciter de justificatione

ione & remissione peccatorum, Canon verò Concilii Constantinopolitani agit de Baptismate: & addit, in quem finem illud in Ecclesiâ administretur, nimirum in remissionem peccatorum obsignandam & confirmandam.

LXXIV. Tandem falsissimum & in Theologiâ Spiritus sancti absurdissimum est, Carechumenum credere omnia illa, quæ in Symbolo Apostolico credenda proponuntur, non verò habere remissionem peccatorum; sed illam adhuc expectare, & per Baptismum demum obtinere debere. Ubi enim vera fides, ibi statim fertur in certas, firmas ac infallibiles promissiones divinas, & per illas in passionis ac mortis Christi meritum, & sic persona credens accipit remissionem peccatorum, & in ejus obsignationem baptizatur.

F I N I S.





Ad Clarissimum Dn. Respondentem

M. M A T T H Æ U M Grossern/Facult.
Phil. Adjunctum, de Fide justificante
disputantem.

Vix Phrygis Assaraci Tithonia fratre relicto
Sustulit immenso ter jubar orbe suum.

Et de *Conjugio* celso de ponte cathedræ
Publica solvisti verba, *GROSERE pie.*

Tunc omnes hæserè tui narrantis ab ore,
Hausère & gratos aure patente sonos.

Amplius expandens felici remige vela,
Dices de *Vera Salvificante Fide.*

Conjugii, dicunt, *animus, quod mutuus ardor*
Audiat, in *bino corpore mens eadem:*

Conjugii Christi (nam hæc sunt mysteria Pauli)
Forma est ingenua ac candida sola *Fides.*

Hanc qui non novit, nec sartè servat ab omni
Parte, is jam solvit vincula casta tori.

Ergò doces meritò *MARTINO Preside*, reddens,
In quo consistat, corda beata *Fides.*

Perge ita cœlestis verbi monumenta tueri,
Sic verè nobis *maxima stella clues.*

Fecit in mutui & ἀκιβδήλας
amoris tesseram

αὐτοχελίως

M. JACOBUS WELLERUS

Variscus.

Extremely faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several horizontal lines across the page.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

II SECUNDI
m Confessionem

TATIO XV.

ntinens
ARTICULI IV.

QUESTIONE,

onfistat fi-

ustificans,

roposita

Academiâ V Vittebergenfi,

S I D E

ARTINI, SS. Th.

Primario, Facult. Theol.

mpli Arcis Præposito:

CONDENTE

Grossern Liebst-Misn.

Adjunct. Elect. Alum.

ditorio Collegii Veteris

em 20. Decembr.

EBERGÆ,

NIS AVERBACH, Acad. Typogr.

M DC XXIX.

